



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 2. Sublata menda quæ inhæserat in Euripideo versu apud
Porphyrium. Item de formæ dignitate quædam non indigna cognitu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Sublata menda quæ inhaeserat in Euripideo versu apud Porphyrium. Item de formæ dignitate quedam non indigna cognitu.

CAP. II.

CUM Porphyrij libellus De quinq. vocibus, quo via muniri putatur ad totum illud corpus librorum Aristotelis quod ὄργανον vocant, teratur quotidie omnium manibus, mirum est tam diu in eo insedisse mendum quoddam, quod nunc indicabo. etsi enim non est eiusmodi, vt cuiquam errorem possit obiicere; tamen in bonis libris vt ne qua vel minima macula insit, opera danda est. Porphyrius, vt probet, εἶδος ὀψιτάτῃ dici de forma corporis ea quæ sub aspectum cadit, ex qua formosi aut deformes nominantur, citat hunc Euripidis versum:

Πρῶτον μὲν εἶδος ἀξίον περιεργασθῆναι.

ita enim vulgò legitur: cum tamen non ἀξίον, sed ἀξίως legi debeat. siquidem erant hæc verba apud Euripidem cuiuspiam optantis videre è filiis, vt opinor, suis maribus procreatos mares, qui primùm quidem ea forma essent, in qua inesset regalis quædam dignitas, deinde aliis etiam bonis excellerent. hoc cognoscere est de Stobæo, apud quem ἐν τῷ ὑπερὸν κάλλος λόγῳ hæc scripta sunt:

Ἰδοὺ δ' αὖτ' ἔκρον' ἀρρὲν ἀρρῆναν,

Πρῶτον μὲν εἶδος ἀξίως περιεργασθῆναι.

Πλείων γὰρ ἀρετῆ τῶν ὑπερῶν ἐν βίῳ,

Τῷ ἀξίωσιν ἤν' κελῶν τὸ σῶμ' ἔχειν.

Vt autem Euripides quandam formam esse voluit quæ regium quiddam haberet: ita Plautus; qui eam etiam formam regiam dixit:

Sed vbi Artotrogust? Hic est. stat propter virum

Fortem atque fortunatum, & forma regia.

E

Xeno

Ant. Martini
Varia Lektionen
LIII
25

Xenophon quoque in conuiuio ait, *φύσει βασιλικόν πρὸ κάλλος ἔστι*. Aristoteles primo Politicōn affirmat, si qui reperirentur ea corporis pulchritudine, quam in decorum statuis cernimus, neminem dubitaturum, quin eos aliis omnibus imperare oporteret. Idemque libro quarto & libro septimo ait, *Ἄθιοπας & Ἰνδούς* in mandandis imperiis, proceritatis ac pulchritudinis habere rationem. & notum est, multatum à Lacedæmoniis Archidamum regem, quòd exiguam duxisset uxorem: querebantur enim, non reges, sed regulos sibi procreatum iri. Ita enim hoc dictum commemorat Athenæus libro xiiii. *βασιλικὸς ἀντὶ βασιλείων*. At Plutarchus: *ἐπὶ τῷ περὶ παιδῶν ἀγωγῆς*, paulò aliter: *ἐ βασιλέας, ἀλλὰ βασιλίδας*.

Locus Terentij è Phormione illustratus.

CAPVT III.

IT A scripti leguntur in omnibus libris hi versus è Terentij Phormione:

P H. *Imò verò tu uxorem cecid.* D E. *In ius ambula.*

P H. *In ius: enim verò si porrò esse odiosi pergitis.*

ego autem in scholiis quibus non nullos eius poëta locos illustraui, falsus sum, mihi non satis constare, quid de illo *in ius* facerem, nam & non inuenistam esse illam repetitionem, & confirmari auctoritate librorum veterum, & tamen versum, ea recepta, vno pede, quàm deceret, fieri longiorem. postea autem mihi venit in mentem, solitos esse olim histriones talia quadam de suo in recitandis fabulis addere; vt oratio quotidiana similior videretur: id quod & Demetrius in libello *περὶ ἑρμηνείας* prodidit: & multa eius rei vestigia in Euripidis fabulis reperiuntur. quorum aliquot hoc loco proponam: vt, quod dico, clarius ab omnibus perspici